



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### De Sanctissimo Christi Iesu Dei Et Hominis Amore

Le Gaudier, Antoine

Coloniae Agrippinae, 1620

Q[u]omodo Deus pater Filium suu Christum suum diligendo, nos pariter ad diligendum eum prouocet. ca. 13.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-50572](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-50572)

faciēdis. hic enim est ille veris-  
sim<sup>o</sup> gladius quo Christus cre-  
ata omnia à nostro corde, vt  
separaret, in homines misit.

QVOMODO DEVS PATER  
Filium suum Christum summe dili-  
gendo nos pariter ad diligen-  
dum eum prouo-  
cet.

## CAPVT XIII.

**V**T meliùs excellentem  
hanc amoris **CHRISTI**  
formam capiamus, operę pre-  
tium est illam contemplari.

In alijs omnium prototy-  
pus & exemplar primarium  
est Deus ipse pater, cuius a-  
mor quo filium suum vnige-  
nitum Deum & hominem  
prosequitur, est omnino inæ-

stima-

*Ioan. 3.*

stimmabilis, nec vero aptius  
quātus ille sit dici potuit quā  
vt dictum est à S. Ioanne Ba-  
ptista, Pater diligit Filiū, & o-  
mnia dedit illi in manu; nimi-  
rum tanti illum fecit, vt om-  
nia illi sua nouo quodam mo-  
do dederit. Et quidem æterna  
generatione illi suam natura-  
lem potestatem, sapientiam  
bonitatem, immēsitatem de-  
dit, sed in humanitate hæc o-  
mnia bona sua, mira ratione  
ad nouos quosdam vsus non  
dedit tantum, sed veluti ipsi  
humanitati subiecit, vt quo-  
ties vellet Christus homo De-  
potentiam ad mira facienda,  
bonitatem ad condonanda  
peccata, & authoritatem ad

iudi.

iudicia exercenda applicaret. Et quod magis mirum est hac ipse pater sua authoritate spoliasse se visus est, vt Christum Dominum filium suum ea ornaret. Nam vt ipsemet Christus ait. Pater non iudicat quemquam, sed omne iudicium dedit filio, vt omnes honorificent filium sicut honorificant Patrem. Quid igitur mirum est si cætera omnia ei subiecit, etiam Angelos omnes, quibus, cum introduxit primogenitum suum in orbem terrarum, dixit, & adorēt cum omnes Angeli eius, imo & ministrent ei, vt famuli Regi suo solent. Quanta ergo æstimatio amoris huius fuit,

Ioan. 5.

Ad Heb.

quo

quo totam suam aulam Pater filio subiecit, totam ei suam gloriam, maiestatem, excellentiam, potentiam, sapientiam communicauit, vt in toto orbe vna cum Patre æqualiter adoretur, cū antea tota illa gloria vni duntaxat Patri videretur à mūdo deferri. quod si tāti facit & ita diligit Pater Christū, quid boni habes, o homo, quod illi præferas? quod in eius gloriam nō libenter conferas? An corpus, an animam, an doctrinam, potentiam, robur, diuitias, honores? o quā pulchrè Deum Patrem imitaberis, si omnia hæc bona subijcias Christo; & eius gloriæ mancipes, teq; ipse te ipso

quo.

quodammodo spolies, vt bonum aliquod ei cōpares, præsertim cū velis nolis, eius gloriæ seruias necesse sit; ipse enim est finis ad quem omnis mundi creatura à Deo condita est. Est enim primogenitus omnis creaturæ, cuius vel minima gloria pluris DEO est, quàm quicquid creatum est; nam minimæ gloriæ Christi cū bonum quoddam DEI sit, maius bonum est, quàm quoduis bonum. Huic igitur amori volens lubens te subijce, cui Pater te subiecit in illum te refunde, cuius te pater ex vehementi eius amore dedit in manu, & confide quia in manu eius crescet pretium

*Ad Coloss. I.*

E tuum,

tuum, vt Dei hæreditate dignus, tanquam Dei filius habearis.

De perfectione intensiua amoris quæ in Deo proprie non est sicut est in nobis, nihil dico, quoniam cum natura sua æstimatiua dimanet nihil quid obitet, dubium non est, quin modo eminentissimo in Patre fuerit, nam & in nobis quicquid est intensiõnis, quicquid feruoris ex eo fonte deriuatur necessariò, & participatur.

